

totum comparasse fidem ad corpus solum, non ad totum hominem integrum, charitatem autem, & opera ad spiritum per quem corpus vivificatur. Eadem sententiæ favet beatus Hieronymus, libro secundo contra Jovinianum, sic inquit: „Frustra nobis in eo applaudimus, cuius mandata non facimus. Scienti bonum & non facienti illud, peccatum est. Quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est. Neque grande patemas unum Deum nosse, cum & demones credant, & contremiscant.“ Hæc Hieronymus. Eandem sententiam docet Bernardus sermone 24. super Cantica, hæc dicens: „Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum, fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio.“ Hæc Bernardus. Qui satis aperte docet, vitam fidei esse charitatem, sine qua fides mortua est. Sicut corpus sine anima, quæ vita est ejus, verum corpus est, quamvis mortuum: ita fides sine charitate, quæ vita est ejus, vera fides est, quamvis sit mortua. Et certe si reliqua Jacobi Apostoli verba circumspectamus, aperte confitit illum sentire, fidem sine operibus, quamquam mortua sit, vere esse fidem. Nam dicit fidem illam sine operibus esse otiosam. Quomodo autem potest vere otiosa dici, quod non est? Fides ergo quæ vere est otiosa, vera est fides. Deinde, idem Apostolus manifesto exemplo probat fidem posse esse sine charitate in homine existente in peccato mortali. Tu credis (inquit Jacobus) quod unus est Deus. Bene facis, & demones credunt & contremiscunt. In quibus verbis Apostolus fidem illorum, qui charitate & operibus carent, comparavit fidei demonum. Et ex hoc testimonio Jacobi, aliqui Sancti Doctores colligunt fidem solum non posse hominem justificare. Nam Cyrillus libro decimo super Joannem, cap. 8. hæc ait: „Quod fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit, scribens: Tu credis quia unus Deus, demonia etiam credunt & horrescunt. Si ergo fides sola sufficeret, multitudo demonum perire non posset.“ Hæc Cyrillus. Huic consonant Anselmus qui super cap. 13. prioris ad Corinthios epistola, hæc ait: „Fides sine charitate nihil valet ad salutem, quia & demones habent hujusmodi fidem.“ Hæc Anselmus. Postremo contra hæc hæresim est aperta Ecclesiæ catholica definitio, quam protulit Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum, sessione sexta, cap. 15. suorum decretorum, cujus verba sunt hæc: Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, afferendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinæ legis doctrinam defendendo, quæ ad regno Dei, non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, qui fidem, & pro quibus à Christi gratia separantur. Post datam hæc doctrinam, ne quis contra illam loqui audeat, canonem latæ sententiæ protulit, qui vigesimosextus est in ordine, cujus verba sunt hæc: Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. Hæc

Concilium Tridentinum. Sed hæc Concilii definitio nem irritat Calvinus: propterea quod Concilium dixit fidem quæ sine charitate habetur esse veram fidem, & non considerat quod licet Concilium dixerit illam esse veram, negavit tamen esse vivam. Non enim necessario consequitur ut vivam sit quod verum est. Quia ut jam diximus corpus mortuum verum est corpus, quamvis careat vita. Sed forte nos hic urgebit Calvinus testimonio aliquorum sanctorum & doctissimorum virorum, qui negant fidem sine operibus esse veram fidem. Gregorius homilia 29. super Evangelia ait: „Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Et quibusdam interpositis iterum ait: Tunc vera, ceteri fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. Theophylactus super illud Joannis, qui non credit jam judicatus est, ait: „Qui immundam agunt vitam, non vere fideles sunt. Sed hi omnes Doctores & quotquot alii hoc loquutionis genere utuntur, capiunt verum pro perfecto & completo, ita ut fides vera, apud istos, sit illa, quæ est perfecta & completa, qualis est illa quæ (ut ait Paulus (Galat. 5.) per charitatem operatur. Et hoc locutionis genere solent omnes homines uti in communi & vulgari colloquio. Nam si quis dicat se dormientem audisse alios colloquentes, responderi solet illi, non fuisse verum somnum illius, propterea quia & si rê vera dormitabat aut dormiebat, somnus non erat plenus atque perfectus. Si quis etiam flagellatus dicat se non doluisse ex percussione flagellorum, respondebit illi, non fuisse vera flagella. Quibus verbis non negatur, illum sustinuisse flagella, sed negatur illa fuisse perfecta & valida flagella. Juxta hunc loquendi modum sancti aliquando dicunt fidem mortuam non esse veram fidem, non quod negent fidem illam esse, sed negant illam esse plenam & perfectam. Potest & adhuc obijci contra prædictam Concilii definitionem, quod multi sancti patres dicunt fidem sine charitate esse non posse. Beda in Commentariis super epistolam Jacobi interpretans illud ejusdem Joannis, fides si non habeat opera, mortua est, hæc ait: „Nec huic sententiæ contrarium est, quod Dominus ait (Matth. 16.) Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Subintelligendum namque ibi est, quod tantummodo vere credat, qui exercet operando quod credit. Et quia fides & charitas ab invicem separari nequeunt, Paulo attestante qui ait: Est fides quæ per dilectionem operatur, aperte Joannes Apostolus talem de charitate sententiam, qualem illius sententiam Gentiles auctores, quos illi maxime colunt. Cicero confidentiam definiens, ait: Confidentia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Et Seneca in epistola 16. ad Lucillum scribens, ait: Dicam tamen sententiam, quod jam de te spem habeam, non dum fiduciam. Ex quibus verbis constat fiduciam esse spem, non tamen omnimodam spem. Illud quod addit fiduciam ultra nudam spem, Thomas dixit esse robur quoddam, per quod spes ipsa fortis efficiatur. Cicero autem dixit esse certitudinem, ita ut nulla sit fluctuatio, aut hæsitatio, aut timiditas, aut diffidentia animi in sperando. Nam hæc omnia pugnant cum fiducia, & opponuntur illi. Hic tamen admoneo lectorem, ut verba Ciceronis dicentis, confidentiam esse certam spem, non

quem ipse eo loco interpretatur. Fides igitur quamvis possit à charitate separari ex se, quando tamen respicit justificationem, ab illa non potest avelli: quia si existat sine illa, justificari non valet. Cyprianus autem non negat fidem esse sine charitate, sed solum illis verbis ostendit fidem quæ sine operibus est, languidam esse & imbecilem atque invalidam ad salutem, & ideo ab illo reputatur quæ non esset; quia non potest fides illa testimonio bonorum operum probari. Quod autem probari non potest (ut egregie dicit Bernardus in libro de præcepto & dispensatione) mihi infectum est. Et hæc esse veram Cyprianicam mentem, constat ex verbis quæ ipse in fine citati libri ait, ubi docet non omnino recedere fidem, sed languere & imbecilem effici per peccatum mortale.

F I D U C I A
De hac re est orta una hæresis, quæ asserit nullomodo licere fiduciam gratiæ aut gloriæ assequende collocare in nostris operibus. Hujus hæresis auctor est Lutherus, & illum in hac parte sequuntur Philippus Melancthon, Martinus Butzerus, & quotquot Lutherano nomine sententur. Hanc hæresim ipsi deducunt ex aliis illorum erroribus, velut aquam putridam ex fonte corrupto. Dicunt enim opera nostra omnia esse peccata, & per illa non posse homines mereri vitam æternam, & inde deducunt, nullam fiduciam esse collocandam in nostris operibus ad consequentiam vitæ æternæ, sed omnem nostram fiduciam dicunt, debere collocari in solis Christi meritis: quia per solum illum redempti & salvati sumus. De illis erroribus qui ad bonitatem operum & meritum eorum pertinent, inferius in suis locis disputabimus in titulo de merito, & in titulo de operibus. Nunc autem solum de fiducia in operibus collocanda disputare oportet. Sed ante omnia, ne in vanum laboremus, operæpretium erit, inquirere, quid sit fiducia, & inde postea apertius evadere in quo illam collocare liceat. Fiducia aut est spes, aut firmitas sive robur ipsius spei. Quod autem istorum sit, ego nolo nunc definire, quia parum refert hoc aut illud esse. Ad elucidationem præsentis negotii, Beatus Thomas in sua secunda secundæ questione centesima vigesima nona, articulo sexto, dicit fiduciam esse spem roboratam ex firma opinione. Est ergo fiducia spes quadam, & non quæcumque, sed ea sola quæ vires & robur habet ex firma opinione. Sed quia optime intelligit Lutherus & illius sectatores beatum Thomam contemnere velle, hoc solo nomine quod theologus scholasticus sit, proferam ad comprobandum illius sententiam Gentiles auctores, quos illi maxime colunt. Cicero confidentiam definiens, ait: Confidentia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Et Seneca in epistola 16. ad Lucillum scribens, ait: Dicam tamen sententiam, quod jam de te spem habeam, non dum fiduciam. Ex quibus verbis constat fiduciam esse spem, non tamen omnimodam spem. Illud quod addit fiduciam ultra nudam spem, Thomas dixit esse robur quoddam, per quod spes ipsa fortis efficiatur. Cicero autem dixit esse certitudinem, ita ut nulla sit fluctuatio, aut hæsitatio, aut timiditas, aut diffidentia animi in sperando. Nam hæc omnia pugnant cum fiducia, & opponuntur illi. Hic tamen admoneo lectorem, ut verba Ciceronis dicentis, confidentiam esse certam spem, non

putet esse intelligenda de certitudine quæ provenit ab objecto, hoc est, à re sperata, de ea quæ est ex parte ipsius sperantis. Nam sæpe contingere potest, ut quis hæsitans & timens speret id quod certo eveniet: & e contrario, ut quis sine ulla hesitatione speret id quod nunquam eveniet, prout contigit illi diviti evangelico, qui multis divitis congregatis, dicebat se habere bona in vita sua, attamen nocte sequente animam illius demones accepere. (Luc. 12.) Hic certe fiduciam vitæ habuit, quia sine ulla hesitatione sperabat vitam longam & perfectam & quietam se habituram, sed male illam collocavit in divitiis, quæ vitam dare non possunt. Fiducia oritur ex firma opinione, quæ de realiâ habetur. Nam si quis credit Petrum esse veracem, & potentem ad aliquid faciendum, statim habet fiduciam in promissionibus illius, & quo magis persuasus est de veritate & potentia, & bonitate Petri, eo magis sperat habiturum quod ille promissit, & firmius confidit in illo. Et hinc aperte deducitur nos omnes obligari ad habendum majorem fiduciam in promissionibus Dei, quam in promissionibus cujuscumque hominis, quantumlibet veracis, & potentis, & boni. Quoniam teneo credere Deum esse magis veracem, & bonum, atque potentem, quam quivis purus homo. Ideo Propheta Regius dixit (Psalm. 144.) Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Non enim sunt usquequaque veraces, neque sunt adeo potentes, ut possint omnia, quæ voluerint, facere. Deinde, fiducia quæ in homine collocatur provenit ex opinione habita de homine, quæ semper habet formidinem admixtam. Fiducia autem quæ habetur in Deo, oritur à fide, quæ credimus Deum esse veracem, & bonum, & omnipotentem. At persuasio de veritate, & bonitate, & potentia Dei, quæ habetur per fidem, quoniam est sine ulla dubitatione, & sine ulla formidine, multo firmitior est opinio, quæ semper (ut diximus) habet formidinem admixtam. Ideo Paulus (Heb. 11.) dixit fidem esse fundamentum cui innititur spes. Fides (inquit ille) est spirandarum rerum substantia. Interpretis dixit substantia, pro eo quod gratæ habetur hypostasis, ac si diceret esse id quod substat alteri rei, ut sustentet illam, quemadmodum fundamentum substat toti ædificio. Ideo enim speramus carnis resurrectionem, quia credimus Deum veracem, qui dixit illam esse futuram, & credimus Deum esse adeo potentem, ut possit mortuos revocare ad vitam. His itaque præsuppositis dicimus nos fiduciam habendi gratiam & gloriam debere collocari in Christo quatenus Deus est, quia ex sola ratione potens est nobis dare gratiam & gloriam, juxta id quod Propheta ait: (Psalm. 83.) Gratiam & gloriam dabit Dominus. Hæc autem fiducia inde oritur quod Christus dixit: (Matth. 4.) Agite paenitentiam, appropinquabit regnum caelorum. Credimus autem Deum esse veracem qui mentiri non potest, & potentem ad faciendum id quod promissit. In Christo autem quatenus homo est, habemus fiduciam consequendi gratiam & gloriam, tamquam in eo per cuius merita hæc nobis reddenda est. Hic est enim qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redimit de interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordia & misericordibus. (Psalm. 102.) Nec enim (ut ait Petrus Act. 4.) aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Per hunc (ut ait Paulus Rom. 5.) accessum habemus ad patrem. Hic est verus pastor, qui ovem centesimam errantem imposuit super humeros suos, & sic reduxit ad caulas. (Joann. 10.) Hic est vera vitis, sine qua

palmites fructum facere non possunt (Joann. 15.) In hoc (ut Paulus ait Eph. 1.) habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitiis gratiæ eius. Et ideo in illo (ut idem Paulus iterum ait (Eph. 3.) habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius. Et propter hæc omnia dicimus cum Paulo: (1. Cor. 3.) Quod fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Et hæc est, & semper fuit omnium theologorum scholasticorum sententia, nec scio aliquem hæcenus ex scholasticis theologis quos legere licuit, qui contrariam sententiam docuerit. Propter quod non possim me ipsum in hac parte temperate, quin scandescam contra Philippum Melanctonem propter calumniam tam manifestam quam imponit scholasticis theologis, dicens eos putare hominem sine fiducia misericordiæ divini posse justum esse. Verum ne quis verbis meis deroget fidem, dicens, me falso hoc crimen imponere Philippo Melanctoni, verba illius referam quæ ille in suis locis communibus titulo de gratia & justificatione ait, Et sunt ista: Scholastici, cum dicunt hominem per gratiam justificari, nihil ibi dicunt de fiducia misericordiæ, sed somniant hominem propter propriam dignitatem, & novitatem illam seu propriam mundiciam, sine fiducia misericordiæ pronuntiare justum. Hæc Philippus ille. Ex quibus verbis constat clare quanta mendacia hæretici consingant, ut illis tamquam quibusdam præstigijs possint homines dementare, ut à vera fide eos avertant, & Doctores illius perhorrescant. Si scholastici theologi ita sentiunt, ut iste Philippus illis impingit, quare non nominavit aliquem? Quare non citavit verba alicujus, ut ex illis constaret, verum esse quod theologis scholasticis ille tribuit? Sed quia nemo est qui ita, ut ille ait, doceat, ideo neminem in particulari notavit. Omnes enim fatemur & voce publica clamamus, & de hac re populum docemus, omnem fiduciam assequendi gratiam & gloriam in Christo Jesu tamquam in vero & unico mediatore nostro, esse reponendam, & in illo puppim (ut dicitur) & proram esse collocandam. Hæc tamen nostra assertio non tollit quin etiam aliquam fiduciam partem, quæ parva est, in nostris operibus possimus collocare. Non enim repugnat (ut Lutherani putant) in duabus rebus simul collocare fiduciam. Nam illi adeo zelotypam, & societatis impatientem faciunt fiduciam in Deo collocatam, ut nullam aliam fiduciam secum admittere putent. Non enim est extra rationem fiducie, ut quis simul in duobus fidat, ita ut in ambobus æqualiter, aut ordine quodam, ita ut primo & principaliter in uno & postea minus principaliter in alio. Cum enim homo infirmatur & aliquam spem salutis habet, primam salutis fiduciam in Deo constituit, deinde in multis aliis rebus, videlicet in medico, in aromatario, in minutore, in loco ubi residet, in bona complexione sua, & suo regimine. Cum enim omnia ista (ut apertissime constat) adjuvant ad sanitatem recuperandam, nullus tam demens est, ut neget infirmum posse in omnibus illis fiduciam suæ salutis collocare. Deinde, si volumus in similitudine fundamenti, qua usus est Paulus, persistere, id ipsum manifeste constabit. Nam in edificio domus, supra primum lapidem qui positus est tamquam fundamentum ædificii, collocatur alius lapis, qui secundus est in ordine, supra secundum erigitur tertius, super tertium constituitur quartus, & sic deinceps usque ad complementum fastigij. Sicut non negamus primum lapidem esse fundamentum totius operis, quia omnes superiores lapides sustentat, & cui omnes inniuntur; ita

nou est negandum fastigium domus inniti quarto lapidi & tertio & secundo, quoniam illis sublati, etiam primo lapide permanente, fastigium domus corrueret, quia sine illis sustentari non posset. Ad eundem modum oportet necessario dicere de fiducia gloriæ obtinendæ, quoniam hæc fiducia in Christi meritis primum & præcipue collocanda est, tamquam in fundamento primo totius spiritalis structuræ, & sine quo reliqua omnia nihil profus sunt valitura. Post hæc Christi merita succedant bona hominis opera, sine quibus, etiam stante merito Christi, nullus potest vitam æternam adipisci, propterea quod Christus dixit: (Matth. 19.) Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Cum itaque bonis operibus (ut aliis postea, in titulo De merito dicemus) sit reposita merces, quæ sine illis haberi non potest; inde convincitur fiduciam gloriæ æternæ obtinendæ licite posse collocari post Christum in bonis nostris operibus. Non tamen dicimus fiduciam hanc sic collocari in bonis operibus nostris, quasi illis ex natura sua debeat merces vitæ æternæ: quoniam scimus Paulum dixisse, (Rom. 8.) non esse condignas passionibus hujus sæculi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Dicimus igitur fiduciam collocari in bonis operibus propter misericordiam Dei & propter promissionem suam, qua promissit se daturum hominibus mercedem propter bona opera. Et sic confidentes in bonis operibus nostris, nihil detrahimus honori divino, ut Lutherani nobis objiciunt; sed augemus in hoc divinum honorem, quoniam eam fiduciam quam in nostris operibus collocamus in Dei bonitatem & misericordiam rejicimus, quia agnoscimus per illam nobis evenire, quod bona opera operari possimus, & quod per illa aliquid apud Deum mereri valeamus. Tota itaque nostra fiducia in Christum refertur, quoniam scimus & agnoscimus, nos sine illo nihil boni efficere posse. *Fiduciam enim (ut Paulus ait (2. Cor. 3.) talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Habentes igitur talem spem multa fiducia utimur.* Cum autem Paulus alibi jubet (2. Cor. 1.) ut non simus confidentes in nobis, non præcipit abstinere ab omni fiducia, sed solum ab illa qua quis sic fidit sibi ipsi aut suis operibus, ut nihil profus confidat in Deo; & hanc talem fiduciam nos etiam condemnamus, quoniam (ut diximus) namquam fiduciam aliquam in rebus nostris constituere debemus nisi prius & principalius collocaverimus in Deo. Et hunc esse verum intellectum Pauli, verba quæ ipse addidit aperte demonstrant. Nam postquam dixerat, *ut non simus confidentes in nobis, continuo subjecit, sed in Deo, qui suscitavit mortuos.* Quod autem talis fiducia in nostris operibus, sicut eam hæcenus declaravimus, licite collocari possit, testimoniis sacre scripturæ & sanctorum Doctorum aperte comprobari potest. Primo illud est manifestum quod Tobias ait cap. 4. *Fiducia magna erit coram Deo elemosyna, omnibus facientibus eam.* In quibus verbis aperte docet Tobias fiduciam coram Deo licite collocari in elemosyna facta. Præterea: *vita hominis super terram (ut est apud Job cap. 7.) est sicut dies mercenarii.* Sicut enim mercenarius (inquit ille) præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Mercenarius autem sperans mercedem laboris sui, non solum habet fiduciam in veritate & bonitate domini à quo fuit conductus ad laborem, sed etiam confidit in suo proprio labore. Quoniam optime intelligit, se non recepturum à Domino mercedem, quamvis ille sit bonus & verax, ni

si propter laborem suum. Rursum, cum mulier illa quæ fluxum sanguinis patiebatur, & cupiens sanari à Christo, accessit retro & tetigit simbriam vestimenti ejus, dicens intra se, si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero: dixit illi Jesus: Confide filia, fides tua te salvam fecit. (Matth. 9.) In quibus verbis aperte docuit illam licite fiduciam salutis posse habere, quia fidem tenebat tantummodo in vestimento. Præcepit ergo ille, ut consideret in illo, & in fide quam de illo conceperat. Deinde, Joannes Apostolus in sua prima canonica epist. cap. 3. hoc ipsum apertissime docet, sic inquit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus.* Adversus obsecro Lutherani, & nolite obdurare corda vestra, quoniam Joannes docet nos, ex adimplentione mandatorum Dei posse concipere fiduciam obtinendi à Deo quicquid oraveris, petierimus. Paulus etiam testatur se in bonis operibus suis habuisse fiduciam assequendi coronam gloriæ: *Bonum, inquit ille (2. Tim. 4.) certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.* Videte quantum se dicat Paulus habere fiduciam assequendi coronam gloriæ propter præclara opera quæ meminit se in die gloriæ fecisse. Et, quo magis ex hoc Pauli testimonio adversarios urgeamus, annotare oportet in illis Apostoli verbis, quod dixit, repositam sibi esse coronam justitiæ, non misericordiæ: & Dominum, illam reddendo, futurum esse justum judicem, & non dixit misericordem. Per hæc enim verba apertissime docet coronam illi fore à Deo reddendam, non ex sola liberalitate misericordiæ divini, sed etiam ex debito justitiæ. Nam id quod semel promissum est, natura docet, ut debitum esse jure patetur. Promisit autem Deus omni bene custodiendi mandata sua, vitam æternam: ergo debitor est Deus vitæ æternæ reddendæ cuiusque plene custodiendi mandata sua. In hoc tamen maxima fuit Dei misericordia, quod tam magnum præmium dignatus fuerit promittere hominibus propter res viles, & tanto præmio indignas. Post datam ergo hanc promissionem non superbe agit homo qui confidit in Deo, quod propter bona opera sua dabit illi vitam æternam. Ideo Augustinus in libro de vera innocentia, regula ducentesima nonagesima-septima, ait. *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Hæc ille. Ex quibus verbis liquido constat, Deum ex pura liberalitate dare homini primam justificationis gratiam; sed ex debito justitiæ reddere gloriam æternam pro bonis operibus. Non est ergo reprehendus qui fiduciam, præsertim moderatam, collocat in illis rebus, quibus Deus ex benignitate sua promissit, reddere præmium vitæ æternæ. Hanc talem fiduciam post Christum in nostris operibus collocatam multi viri sancti & doctissimi commendant, & pro illa testimonium dicunt. Thomas Aquinas in Commentariis super epist. Pauli interpretans illud ex E. epistola ad Hæbreos cap. 10. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram,* hæc ait: *Ostendit quid eis restat faciendum, scilicet confidentiam acceptam ex bonis operibus conservare.* Et paucis interjectis subdit: *Ex quo tot bona in primordiis conversationis vestræ operati estis, ex quibus vitam confidentiam debetis habere apud Deum, nolite itaque amittere confidentiam vestram, quod profecto sequeretur, si à bonis desisteretis.* Hæc Thomas. Ante Thomam Anselmus eidem sententiæ favet, qui prædicta Pauli verba interpretans in

Commentariis super epistolam ad Hæbreos, hæc ait: *Il- latio est ex eo quod dixit, eos tanta pertulisse, & vitam æternam inde expectasse, id est manentem substantiam. Quasi dicat, Quoniam in principio fidei tot ad- versa passi estis, & inde confidenter sperabitis æternam mercedem; itaque nolite amittere confidentiam vestram, id est, firmam spem vestram, desicendo à patientia fidei; quia per patientiam amissionem amittetis & æternæ vitæ spem. Et ne anisio spei, parva jactura videatur, addit: quæ magnam habet remunerationem. Itaque pro certo sperate illam remunerationem ineffabilem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, ac si jam teneatis eam. Vel in prædestinatione divina habetis illam. Vere per impatientiam non debetis amittere confidentiam perpetuæ retributionis.* Hæc Anselmus. Et ante Anselmum Theophylactus eandem sententiam docet, qui in Commentariis super Paulum, prædicta ejusdem Apostoli verba interpretans, hæc ait: *Cum dicit, nolite amittere, ostendit, quod nondum exciderat: opus enim haberent confirmationem & munitionem. Fiduciam autem & in loquendo liberatorem dixit, quod hujusmodi cum patientia ob Dei gloriam ferentes, magnam habeant confidentiam.* Hæc Theophyl. Ante hos omnes Chrysostomus apertius hanc docet sententiam, qui in Commentariis super Psalmos interpretans illum versum. (Psalm. 117.) *Aperite mihi portas justitiæ,* hæc ait: *his qui castigantur, portæ aperiantur, iis qui peccata depouunt. Qui disciplinam suscepit, potest confidenter dicere, Aperite mihi portas justitiæ.* Hoc dictum enim sumendum est analogice, & celorum portæ sunt intelligendæ, quæ sunt clausæ improbis, quæ sunt pulsandæ per virtutem, per elemosynam, per justitiam. Et iterum in alio Psalmo interpretans illum versum. (Psalm. 144.) *Misericors & miserator Dominus, &c.* hæc ait: *Vides Prophetam immorari his melioribus, & prolixiori uti oratione. Novit enim Dei opes in his maxime consistere. Nec enim licuisset conservari, nisi magna fuisset ejus clementia, non licuisset manere nisi ejus magnam essent experti bonitatem. Et ideo dicebat, (Esai. 43.) Ego sum qui delo iniquitates tuas. Et in tuis peccatis defendit miserator & misericors Dominus. Vides quomodo ostendit ineffabilem ejus clementiam. Non solum enim miseretur eorum qui peccant, sed etiam aliud ostendit non parvum genus clementiæ, nempe lenitatem et patientiam, ut veniant ad penitentiam, & cum ejus clementia à suo quoque conserventur studio, & diligentia, & ex suis factis fiduciam habeant. Non est autem solummodo misericors, sed etiam multum misericors, ostendens hanc multitudinem non posse mensura comprehendere, sed omnem superare rationem.* Hæcenus Chrysostomus. Attendite obsecro, Lutherani & videte quam aperte nostram sententiam Chrysostomus docet: *Dixit enim Deus ex sua benig- nitate & clementia hoc nobis concessisse ut in nostris operibus fiduciam aliquam collocare possimus. Itaque si in operibus nostris fiduciam aliquam collocamus, non est propterea quod opera nostra ex sua natura tam digna esse putemus, ut illis solis fidere valeamus; sed confidimus in illis, propterea quod Deus hanc nobis exhibuit misericordiam, ut per illa vitam æternam consequi valeamus.* Hieronymus in commentariis supra epistolam ad Ephes. interpretans illud ex eadem epistola in quo habemus *fiduciam & confidentiam per fidem,* hæc ait: *Fiducia atque accessus principum & origo fides in Christo est.* Hæc

Hæc ille. In quibus verbis duo sunt maxime notanda. Primum est quod ex Hieronymi sententia non solum in Christo, sed etiam in fide Christi, quæ opus nostrum simul & Dei donum est, considerari licet. Alterum est quod Hieronymus non dicit totam fiduciam esse in solo Christo aut in fide eius, sed dicit, fidem esse solum principium & originem fiducie. Si fides esset solum principium & origo fiducie, convincitur inde aperte aliquid ultra esse præter fidem in quo fiduciam collocare possimus; quoniam alias non esset principium fiducie, sed tota fiduciam. Postremo hæc hæreticorum sententia damnata est in Concilio Tridentino sub Paulo tertio celebrato, in cuius sessione 6. cap. 16. hæc proponitur doctrina. Hæc igitur ratione, inquit Concilium, iustificatio hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: (1. Corinth. 13.) *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus, ut obsequatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* (Heb. 10.) Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Post datam hæc doctrinam, ne quis illi temere contradicere audeat, duos late sententiæ canones contra eos qui huic doctrinæ repugnauerint, statuit, videlicet 26. & 32. quorum verba sunt hæc: *Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo, per eius misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo & divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint, anathema sit. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, ut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cuius vivum membrorum est, sunt, non bene mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipsius æternæ vitæ (si tamen in gratia decesserit) consequendum, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Hæc tamen Concilium Tridentinum. Sed opus est ut Lutherianorum objectionibus respondeamus. Obijciunt nobis Prophetam regium reprehendentem illos qui in suis operibus confidunt: *Qui confidunt*, inquit ille (Psal. 48.) *in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Et Salomon in Proverbiis ait: (Prov. 12.) *Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit.* Sed his omnibus, & si quæ sunt alia similia testimonia, facile responderi potest, per id quod inter arguendum diximus, eam videlicet fiduciam in illis omnibus locis reprehendi, quæ in solis nostris operibus collocatur, non autem illam, quæ primo & principaliter in Christo, & deinde secundario & minus principaliter in nostris operibus collocatur. Obijciunt etiam nobis Phariseum illum in templo orantem, quem hoc à Deo reprehentum esse dicunt, quod sua opera bona commemorabat, & in illis confidebat: (Luc. 18.) Sed falluntur, quia non propter hoc reprehensus est, sed propter superbiam & contemptum Publicani. Nam Saluator postquam dixerat Publicanum descendisse à templo iustiore Phariseo, causam expressit dicens: *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Et certe si bene advertantur verba quæ in illo loco Lucas refert, ex illis aperte convincitur error Lutheri: tantum abest, ut ex illo loco favorem suæ

doctrinæ sumere possit. Dixit autem & ad quosdam, inquit Lucas, qui in se confidebant tamquam iusti, & aspuebant cæteros. Illos ergo reprehendit, qui cum non sint iusti, in se confidunt tamquam si essent iusti. Quibus verbis aperte declaravit, eos qui sunt iusti posse quodammodo in se confidere. Contra hæc hæresim neminem vidi qui scripserit, nisi unum solum Iohannem Clithoræum, qui in suo antilithero, libro 3. capite 13. Paucula quædam per occasionem scripsit.

FORNICATIO.

Inter alios Græcorum errores, quos Guido recenset, unus est ad hæc rem pertinens. Dicunt enim (ut ille ait) fornicationem simplicem, hoc est, eorum soluti cum soluta, non esse peccatum mortale. Sed advertas huic errorem jam supra disputavimus in titulo de coitu, hæresis 1. ad illam ergo locum mitimus lectorem.

FUTURUM CONTINGENS.

Hæc res est unus error, quo docetur nihil contingens in rebus evenire, sed omnia que sunt necessitate absoluta fieri. Huius hæresis auctor fuit Petrus Abailardus: eum postea secutus est Joannes Vvicleph, dicens, potentiam Dei & actualem creationem ejusdem esse mensuræ, ita ut non possit plures res creare quam creat, & aliter res facere quam fecit. Bunde errorum tutatur nunc Lutherus, dicens omnia que sunt, tam absoluta necessitate fieri, ut impossibile sit, aliter fieri, quam sunt. Hinc aperte convincimus verum esse quod alias diximus, causam videlicet hæresim potissimam esse, quod fidem metiuntur juxta nostri intellectus potentiam, ita ut illa sola credenda putent, quæ eorum intellectus comprehendere potest. Quia enim humillimus intellectus, vel ut melius dicam, excæcatus Petri Abailardi & Joannis Vvicleph non potest cognoscere alia, quam ea que facta sunt: inde concludunt, Deum non posse facere, nisi que facta sunt. Itaque divinam omnipotentiam concludere volunt & circumscripturæ limitibus sui intellectus, quod maxima est gloria augmentum, anathema sit. Hæc tamen Concilium Tridentinum.

Paulus namque ait, *vias Dei esse investigabiles.* Quem locum pertractans Origenes lib 9. super epistol. ad Rom. cap. 11. ait: *Neque inscrutabilia judicia & investigabiles viæ dicerentur, nisi quia nulla est creatura, quæ vel investigare valeat, vel scrutari. Solus enim filius, est qui noverit patrem, & solus est Spiritus Sanctus, qui scrutatur omnia, etiam altitudinem Dei: & ideo hæc altitudinem Dei, quam inscrutabilem dicit & investigabilem, omni creaturæ inscrutabilem dicit.* Hæc Origenes. Quid ergo superbissimi hæretici scrutari tentant quod inseparabile est? & vestigare quod investigabile est? Volunt enim veluti illi Babylonii, qui turrim ædificare cœperant, in cœlum ascendere (Genes. 11.) sed desecit eos Deus, dum se elevare super altitudinem cœli contendunt, & ita evanuerunt in cogitationibus suis, & obsecraturum est insipientes cor eorum: *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* (Rom. 1.) Melius certe Augustinus qui captivans intellectum suum in obsequium omnipotentie divine, ita dicit: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fatemur, investigare non posse. In talibus enim rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Hæc Augustinus in quædam epistola ad Volusianum. Cæterum quia Petrus Abailardus & Joannes Vvicleph in hoc animum convenerunt, ut apud seipos solos, contra Sapientis præceptum, prudentiam

res sint, & omnium sanctorum virorum sententiam posthabitis, de solo suo sensu gloriantur, ideo ex sola sacra scriptura testimonia proferentes, contra illos agamus. Et primo pro nobis testimonium dicit sapiens, qui loquens de via filiorum Israel per desertum, ita ait: (Sapient. 11.) *Quod quidam errantes colebant muros serpentes, & bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam (ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum, aut materia invisâ, immisere illis multitudinem urforum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas & ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem præferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quantum non solum hæc satura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Nam & sine his non spiritu poterat occidi, perfectionem passu ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.* Vides quam multa numeraverit Sapiens, quæ Deum ait potuisse facere, cum tamen nunquam facta fuerint. Alia ergo potest facere, & aliter facere quam facit. Et post illa verba iterum ait Sapiens: *Misereri omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam.* Eode laudat Dei miserationem, quam inde convincit, quod cum possit hominem peccantem statim à mundo tollere, vitam illi permittit quæ penitere possit, & veniam promereri. Eandem etiam sententiam in eodem libro, altero tamen capite, Sapiens repetit. Nec potest Vvicleph evadere ea parte qua tenet, dicens Deum multa potuisse quæ non fecit: potuisset inquam, si voluisset. Sed nos dicemus, quod potuit, cum tamen non voluit: quia si voluisset, fecisset, unde convincitur, ut non voluerit, quod non fecit. Præterea Christus redemptor noster pridie quam pateretur, & cum proximus esset ut caperetur, Petro, qui gladio amputaverat auriculam servi principis sacerdotum, dixit: (Mat. 26.) *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ quia sic oportet fieri? Petrus voluit magistru vi & armis defendere, & impedire si posset, ne caperetur. At ipsemet magister volens ostendere, esse in manu sua non pati si vellet, dicit se posse rogare patrem suum, ut exhiberet illi duodecim legiones Angelorum, qui facilius hoc exequi possent. Verum licet hoc se posse dixerit, constat tamen illum non sicut poterat fecisse. Et apud Joan. cap. 10. ostendens se sola voluntate mortem passurum, & non necessitate absoluta, ut ajunt hæretici, dicit: *Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quibus verbis innui manifeste se habere potestatem impediendi virtutem hominum machinantium ad mortem ejus: ideo dicit, *nemo tollit eam à me: ac si appetitus Judæis diceret, Vos stitis sanguinem meum, & mortem meam anxie desideratis: hoc autem scitote, quod me invito & involuntario, nullus vestrum prævalebit.* Rursam & Beatus Paulus in ea quæ est ad Heb. epistol. de Christo loquens, ita dicit: (Heb. 5.) *Qui in diebus carnis sua preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Quid hoc testimonio apertius desiderari potest? Paulus ait Deum potuisse liberare Christum à morte, hoc est, ne taliter pateretur mortem. Hoc tamen cum non fecerit, convincitur, Deum aliud, & aliter posse facere quam*

facit. Et in priore epistola ad Corinth. cap. 10. ait: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Non autem patimur, aut permittimus (nam pati hic ponitur pro eo quod est tolerare, aut permittere) nisi ea, quæ cum aliter evenire possint, impedire volumus, ne ita eveniant: quæ cum non impedimus, sed finimus esse prout sunt, tunc dicitur ea pati, aut tolerare, aut permittere. Nullus enim recte, & ut decet loquens, diceret: Ego non patiar ignem esse frigidum: aut, patiar ignem esse calidum, quoniam nullus nostrum potest facere ut ignis frigeat, aut impedire ne caleat. Quom ergo Paulus dicit de Deo, quod non patietur nos tentari supra id quod possumus, signum est quod aliter evenire potest, ut videlicet supra nostram potentiam tentemur. Hoc autem esse contingere possit, quia tamen ne ita eveniat, Deus non permittit, ideo ait Paulus, quod non patietur nos tentari supra id quod possumus. Ex quo loco si recte consideretur, aperte etiam ostenditur, Deum posse facere res aliter quam facit. Deinde mutatio ipsa operationum, quæ in creaturis Deo jubente contingit, apertissime ostendit, Deum posse facere res aliter quam facit. Nam sæpe contingit, ut res aliter se habeant & aliter operentur, quam à natura illis concessum fuerat: quæ mutatio convincit ut cum aliter factum fuerit, non necessitate, sed mera Dei voluntate ita factum esse credamus. Quod enim mulier in juventute sterilis, prout de Sara sacra narrat historia, (Genes. 21.) postea senio confecta, pariat, præter naturæ ordinem evenit. Asina Balaam cum loquitur (Num. 21.) limites suæ conditionis excedit. Sol quatum motum suum reliquens (Josue 10.) stetit in favorem filiorum Israel, ultra leges naturales hoc habuit. Virga amygdali nomine Aaron constituta (Num. 17.) contra naturalem ordinem sine radice floret, cum esset arida, & fructum emittit. In fornace ardente pueri inclusi non comburantur (Dan. 3.) & ex petra arida, quæ nullam humoris virtutem continebat, fluunt aquæ largissimæ, adeo ut pro sexcentis millibus animarum suffecerint. (Num. 20.) Cum hæc omnia præter naturæ ordinem eveniant, docemur, ut cum juxta naturæ ordinem aliquid sit, credamus tunc etiam Deum aliter facere posse. Accedit ad hæc, quod si nihil contingenter evenit, sed omnia necessitate absoluta fiunt, orationes erunt prorsus inutiles. Ut quid Deum oramus, si necessario evenit id quod semel decretum est? Frustra enim oramus, si id quod petimus, nobis etiam non petentibus fiet: aut si futurum non erat, impossibile est ut fiat. Frustra ergo oramus? Abest. Nam Dominus nos orare præcepit. (Mat. 6.) Et David rex orans in jejunio & fletu, speravit se posse impetrare à Deo, ne filius suus moreretur, quamvis per Natam prophetam fuerat ei dictum: (2. Reg. 12.) *Filius qui natus est tibi, morte morietur.* Et cum postea vidit filium mortuum: dicit David servis suis: qui illum reprehenderant propter jejunium & fletum. *Propter infantem, cum adhuc viveret, jejunavi & flevi. Dicebam enim, Quis scit si forte donet eum mihi dominus & vivat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare jejuno?* Ecce David credit Deum potuisse facere de morte filii ejus aliud quam fecit: & Petrus Abailardus hoc non credit. Quapropter videtur mihi velut alter Goliath, qui omnes filios Israel, id est, omnes sacros doctores ad bellum provocat: sed vide eum jam nunc à Davide percussum, & interfectum. Præterea Christus patrem orans, ait: (Mat. 26.) *Pater, si possibile est transfer calicem hunc à me.* At Christus, qui futura providebat, sciebat se calicem potaturum: ergo juxta istorum sententiam,